

14

15.

DISSERTATIO ANATOMICO-MEDICA
IN AVGVRALIS.
DE
GLANDVLIS IN GENERE, ET SPECIATIM
DE THYMO
QVAM
POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
G E O R G I O II.
M. BRIT. FRANC. ET HIBERN. REGE
DEFENSORE FIDEI
DVCE BRVNSVICENSI ET LVNEBURG.
S. R. I. ARCHITHESAVRARIO ET ELECTORE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
GRATIOSI ORDINIS MEDICI CONSENSU
PRAE SIDE
A L B E R T O H A L L E R
PHIL. ET MED. D.
P. P. O. CONSILIARIO AVLICO,
ARCHIATRO REGIO SOCC. REGG.
ANGL. ET SVEC. SOD.
SVPR. SENAT. REIPUBL. BERNENS. DVCENTVMVIRO
PRO
HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORIS
RITE OBTINENDIS
DIE XXIV. OCTOBR. A. R. S. MDCCXLVI.
H. L. Q. C.
DEFENDET
A V C T O R
AVGVSTVS LVDOVICVS DE HVGO.
G O T T I N G A E
TYPIS ABRAM VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

DISSEMINATI A N A T O M I C O - M E D I C A
 IN VAGABUNDI
 DE THYMO
 PETANTISSIMO PRINCIPALI AC DOMINO
 DOMINO
G E O R G I O I I
 M SITTE LVRIC ET HIBERNI REGI
 DELTINSORIS TIBRI
 DACS RYNSAUCENSI ET LUNEBURG
 S L I V RICHTHEZAVRIO ET EPTOLORE
 RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO
 GRATIOSI ORIGINAE MEDICI CONSILI
 ARKADIA
A L F R E D O H A L I T R
 THERMIS ET HIBERNIS
 A L L O C O R K S E R V A T O A M I C O
 ARCHAETRIO BEATO SOEGE REGI
 ANGELUS ET ALICE BOCH
 SALV. SANT. BENEDICTI BENEDICTIONALIS
 HONORIAS VC RYNSAUCEN
 DOCTO RIS
 RYNTONIENSIS
 DSC XIX. OCTOBER 1528. MECCHIN
 H. L. G.
 AGRESTAS FLAVO AEGEA ac HUGO
 COTTERINGA
 TULIS AD RAYMUNDENHOFER V. 1528. TROPOL

V A T R O
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
GERLACO ADOLPHO
L.B. DE MVNCHHAVSEN
DYNASTAE IN STRAVSFVRTH
RELIQVA
AVGVSTISSIMI ATQVE POTENTISSIMI
MAGNAE BRITANNIAE REGIS
ELECTORIS BRVNSVIC. AC LVNEBVRGENS.
STATVS MINISTRO
SVMMO PER DVCATVM CELLENSEM
ADVOCATO
LITERARVM STATORI MAXIMO
DOMINO SVO LONGE GRATIOSISSIMO
PATRONO OMNI PIETATIS CVLTIV
PROSEQVENDO

INTER V
CARDENTISSIMAX PRO TANTI MAECENATIS
LONGAEVA INCOLVMITATE
VOTA
IN GRATI ANIMI TESTIMONIVM
HOC LEVIDENSE OPUSCULVM
GERARDO HOGARTH
L.B. DE MUNCHHAUSEN
D. D. D.
DYNASTAE IN STRASBARTH
RELIQIA
AGAVISSIMI ADOAE POTENTISSIMI
MAGNAE BRITANNICÆ REGÆ
ELECTORIS BRUNSWIC AC LUMBARGENS
STATAS MINISTRO
SUMMO PER DACATAM CITTENSEM
ADVOCA TO
ITERARVM STATORI MAXIMO
DOMINO SAVOLONGE GRATIOSISSIMO
CLIENS DEVOTISSIMA
PATRONO OMNI PIETATIS CARTA
AVGVSTVS LVDOVICVS DE HVGO.
PROGAVINDO

A decorative horizontal border consisting of a repeating pattern of stylized, symmetrical motifs. Each motif appears to be a combination of floral elements like petals and leaves, possibly representing a stylized 'K' or 'G' shape, enclosed within a square frame with internal lines forming a grid-like structure. The pattern is rendered in a dark, possibly black, ink on a light-colored, textured background.

A. & Ω.

J.

Glandula est convolutio arteriosorum ramorum & venosorum, in quibus liquor diversus a sanguine fecedit in canales proprios, vasis continuos plerumque.

III.

Definitio haec glandulae fere omnes eius species comple&titur. Arduam esse rem perfectam dare Principes in arte viri fatentur. Sic BOERHAAVIUS (*a*) glandularum facies adeo diversas esse ait, ut nulla definitio condi possit, quae omnem earum varietatem indicet. Hinc quoque videmus gravissimos Auctores, qui de fabrica & structura glandularum integros libros

a) In preelectionibus ad institutiones medicas, ex editione Praeceptoris ad cineres ven-

A

texuerunt, rem intactam reliquise. In NVCKII opp. frustra quaerimus descriptionem omnibus numeris absolutam; sic in WHARTONO, atque aliis plurimis, & novissimus scriptor LIEV-TAVD, Anatomicus Aquis sextiis degens, impossibile esse statuit, definitionem omnium totius corporis humani glandularum dare (b). Solius tamen habitus externi rationem habendam esse non crediderim. Antiquos quidem scriptores qui ea definitione usi sunt, non vitupero; qui eorum potius prudentiam & sinceritatem merito veneror, sed assentire ipsis nequeo, dum ad solum babitum externum confugiunt, glandulamque eam corporis humani partem ajunt, quae nec os, nec viscus, nec adeps sit, nec musculus, nec vena &c. sed habitu se ab omni alia parte corporis humani distinguat. Rarae enim utique & pingues sunt, neque de carnium genere, quales in reliquo corpore reperiuntur, neque aliud quid earum in corpore simile est, sed friabiles sunt, & venas multas habent, HIPPOCRATES (c). Fuerunt quidem nostris temporibus Celeberrimi viri, qui opinionem veterum renovatam in scenam produxerunt;

b) Effas Anatomiques p.539.

c) Init. libr. de glandul.

junt; infitias tamen ire non possumus nobis PEYERI (*d*), HELVETII (*e*), & aliorum sententiam magis placere, qui per glandulas intelligunt organa animalium secretioni destinata.

III.

Organorum horum secretoriorum, praeeunte Illustri HALLERO, quatuor constituimus classes. Prima simplicissimas MALPIGHII continet. Secunda eas, quae ex primae Classis glandulis componuntur. Conglobatas tertia, quae lymphaticae sunt. Quarta conglomeratas, quae extra omne dubium simplices sunt vasorum textus.

IV.

Haec glandularum divisio, me quidem iudice, optima est. Ab aliis aliter dividuntur. Sic e. g. Cl. LIEVTAVD (*f*) tres adesse vult glandularum species. Primam vocat secretoriam, & hoc refert parotides, maxillares, sublinguales, lacrymales, pancreas &c. secundam dicit esse *lymphaticam*. Sunt eae quae nobis Conglobatae audiunt. Tertiam vocat anomalam,

ut

d) Parerg. Anat. p. 82.

f) l. c. p. 5.

e) Oeconom. animal.

ut pituitarium, thyroideam, thymum, bronchiales, renes succenturiatos, &c. Sed hae classes sufficere non videntur.

V.

Primam classem pulcre, uti solet, descripsit magnus BOERHAAVIVS (g) MALPIGHIVM secutus, secundum quem glandulam huius primae classis eam vocat partem, quae propriae membranae simplicis apparatu involucrum format cavum, intra quod singularis humor secretus, contentus, fatus, mutatus per emissarium denique excernitur.

VI.

De his plurimi convenient Auctores, & RVYSCHIVS (h) ipse amico BOERHAAVIO fere non contradicit, licet cryptam vocare malit. Dubitari de iis non potest, earumque Theoria firmitiori forsan nititur fundamento, quam illa RVY SCHIANA de papillis nerveis. Inveniuntur hae glandulae per omnem fere corporis totius ambitum (i), ut in palpebris oculorum, naso, membra mucosa, palato mobili, tonsillis, radice linguae, faucibus, stomacho, ventriculo, intesti-

(g) in Epistol. ad RVYSCH.

(h) Respons. ad BOERH.

(i) negat RVYSCHIVS.

testinis, aspera arteria, bronchiis, auribus, &c. (k) quibus addi possunt, tum glandulae intestini recti (l), & forte, subiungi glandulae PACCHIONIANAE durae matris. Vocari possunt spuriae, cryptae, miliares, simplices.

VII.

Secundae Classis glandulas dicimus illas, quae modo descriptis proximae sunt. Compositae nempe sunt ex prioribus, ita ut ex paucis illarum, certa lege unitis, nasci videantur. Primae Classis glandulae nimirum emissaria sua in unum communem canalem coniungunt, qui deinde humores, in Organis, singulis secretos recipit, & rursus, ubi natura eorum usum postulabat, demittit. In toto igitur glandularum apparatu natura a simplici, solitaria glandula, eaque minima progreditur ad compositionem aerum, quae magis sunt compositae.

VIII.

Tertia Classis glandulas complectitur, quae ab omnibus vocantur congregatae (m). Eo nomine

k) BOERH. I. c.

l) SCHREIBER in vita RUVSCH.

m) SCHELHAMMERVS quidem

ap. Celeberr. HEISTER. in Compend. Anat. citatus, divisionem glandularum in congregatas &

A 3 congregatas in hoc solo hunc con-

mine insigniuntur illae, quae vasa lymphatica & recipiunt & edunt. Naturam earum extricavit Cl. NVCKIVS (*n*), qui muscosas appellandas esse censet, uti conglomeratis vasculosarum nomen imponi posse arbitratur. A MALPIGHIO differt, uti ipse indicat, dum virum hunc struturam congregatarum curiose quidem proposuisse dicit, observationes eius tamen a suis toto coelo differre. (*o*) Inveniuntur hinc inde locatae in mesenterio (*p*) ad axillas, inguina &c.

IX.

Ad quartam classem referimus congregatas, quae secundum RVYSCHIVM nihil sunt aliud quam vasorum textus absque folliculis, nullo modo ad secundam classem referendi.

X.

MALPIGHIVS in opp. posthumis simplicis simarum glandularum secundae clasfis annumerandas esse putat, & defensorem naestus est ingeniosissimum, Magnum BOERHAAVIVM, qui in epistola ad RVYSCHIVM hanc sententiam

conglomeratas propter signifi-
catum verborum, quem eundem
esse putat rejicit. An recte,
aliis dijudicandum relinquo. *n*) in Adenogr. curios. p. 27.
seqq.
o) p. 4.
p) EVSTACH. T. X. XI.

maximis viribus firmorem reddere allaboravit. Pulcra sunt, quae in medium profert argumenta, & Tanto Viro omnino digna. RVY SCHIVS vero utrumque adversarium experiendo superasse videtur.

XI.

Examinavimus igitur paucas eas quas supra (§. III.) constituimus Classes. Nunc accingamus nos descriptioni fabricae cuiusvis classis.

XII.

Simplicissimae glandulae fabrica haud adeo intricata est, & jam diximus, RVY SCHIVM non multum obloqui BOERHAAVIO, licet ad glandulas referri non debere putet. (q) ob eam rationem, quia nulla glandula sola membrana cava perficitur, sed praecipue ex vasis, nam aliter forent mera modo receptacula, & excipula, uti cisternae. Videntur tamen omnino ad glandulas referri debere; vidit ipsos folliculos MALPIGHIVS; fit ibi secretio humoris peculiaris, & licet fabrica ab aliis glandulis paucum differant, ratio tamen nulla apparet, cur

ex

q) Non ideo volo, ne ponantur inter glandulas, sed ut vocentur in posterum cryptae &c. Resp. ad BOERH. Puto quod hae partes non debeant appellari glandulae &c. Id. l. c.

harum numero eximi debeant. Natura a simplici incipit (§. VII.) & paulatim secundum varius usus maiori apparatu utitur. Alia argumenta vide apud III. HALLERVM, (r) ex quibus unum hic liceat adducere, nempe vasā, quae membrana folliculi ordinat, rete eorum, imo & eductos intra folliculum cylindros, ipsa experimenta RVYSCHIANA demonstrant, ubi eodem modo & in intestina, & in glandulas Peyerianas liquor decolor effunditur, remanente in arteriis minio, & sola perfluentे cera liquidissima (s); fabrica igitur est simplicissima, fiunt nempe ex membrana instructa vasis plerisque quae producta in cavum folliculum hiant in eam caveam, atque ibi liquorem suum deponunt. De sphinctere in ostio glandulae, in sensu non occurrente, nihil addo.

XIII.

Secundae classis fabrica magis composita est. Eius descriptionem adiecta iconē, dedit rursus summus vir BOERHAAVIUS, atque ex hac apparet, omnino ex plurimis folliculis eam constare. RVYSCHIUS pro certo quidem habet, neminem

(r) I. c. p. 421.

(s) RVYSCH. Advers. Anatom.

II. n. 3. p. 7. Epistol. XI. p. 9.

minem illas glandulas demonstrare posse, omnibusque Anatomicis id impossibile esse, licet oculatissimi sint, seque ipsum, qui corpora humana ultra sexaginta annos lustraverit, ne unam quidem invenire potuisse. Tanti certe anatomici estata haud parvi sunt momenti; demonstrari tamen possunt ex **MALPIGHIO** (t), **TERRANEO** (u), **MEIBOMIO** (v), aliisque, quos adducit **ILL. HALLERVS.**

XIV.

Tertia Classis Anatomicis magis cognita est, & facilius examinari potest, quam duae priores. **MALPIGHIVS** hic iterum folliculos adesse vult. **NVCKIVS**, uti supra diximus, eos negat, additis iconibus (x). **RUVSCHIVS** post illum, usus felicissimis suis injectionibus, tandem veram fabricam exposuit, in qua patet folliculos nullos adesse, sed glandulas totas constare ex meris vasis, miro modo inter se cohaerentibus, & membrana quadam communi circumdati; cum vero praeter haec apud **Celeberrimum Virum**

reli-

(t) in posthum. p. 126. Tab. XVI. f. 10.

(u) de urethr. glandul. c. II. fig. I.

(v) Epistol. de vas. palpebrac. novis.

(x) Fig. IX. X.

B

reliqua non inveniantur, quae ad conglobatarum structuram pertinent, paulo accuratius adhuc examinanda erit.

XV.

Membranas habent duas, quarum alia externa, alia interna. Externa tenuior totam glandulam includit (*y*), & firmiter adhaeret, ut non nisi aquae ebullientis ope separari possit, (*z*) fibrisque constat circularibus. Sunt qui ab expansa peritonaei portione originem trahere putant, quod vero NVCKIO verosimile non videtur (*a*). Et merito, ex eo quippe fundamento, quia in variis corporis nostri partibus conspicuae sunt glandulae conglobatae, ubi peritonaeum non adest, v.g. axillis, cervice, & terminis faciei cum cervice. Non video igitur quid obstat, cum Auctore hoc & BOERHAAVIO (*b*) credere, membranam hanc

y) NVCKIVS p. 27.

z) BOERH. praelect. T. II. p.

391.

a) Nec aliis. Abdominis glandulae exteriorem membranam peritonaeo debent; Thoracis pleurae; quae vero circa articulos, collum, aliaque se sustent membra, a productis vici-

narum partium staminibus, diversimode sibi invicem contextis membranam efformantibus deducunt, foraminulis pro vasculorum in- & egressu perforatam plurimis. MYLIVS in *Diss. de glandulis L. B.* 1698.

b) Institut. nro 242.

esse texturam vasculorum minimorum lateraliū tam egredientium, quam ingredientium (c). Interior membrana crassior & compacter est priori, separatur ab illa interposita pinguedine (d). Ambit glandulae substantiam immediate. Fibras habet longitudinales (e) vel potius irregulares. In statu sano colorem habent hae membranae albicantem; sunt aequales & laeves; ab humoribus vero intus stagnantibus, vel induratis, coagulatisve, fiunt inaequales, ut in cancro, & in iis qui Tabaci suſtione delectantur, in quibus nigras fieri dicunt (f).

XVI. *Vasa* habent arteriosa, venosa, nervosa, lymphatica.

XVII.

c) Contradicit MYLIVS. l. c. d) BOERHAAV. l. c.
dicens membranam hanc esse velamen fibro - tendineum, tenuissimum ornamen arteriolis, glandularum intimam intrantibus substantiam, derivatis a ramulis, nutritum succum in minutissimas glandulas ubivis disseminatas, pro ipsius velamnis incremento adferentibus. Figuram addidit, quae prima est.

e) Tendinem vocat MYLIVS, figura exprimit V, & hinc, organum musculare sui generis glandulam omnem vocandam esse putat §. V. quo June, videat ipse. Concedi forte posset aliquo modo per analogiam. Vid. III. HALLE. in not. ad Praelect. BOERH. T. II. p. 392.

f) NYCKIUS p. 30.

B 2

Vasorum arteriosorum tanta in his glandulis est sylva, ut ex illis fere solum constare videantur. Patet per injectiones suminorum virorum RVYSCII & B. S. ALBINI, Praeceptoris multis nominibus laudandi, uti in praelectionibus Physiologicis, cum multis aliis praeparatis, quae jam olim ipsius RVYSCII (g) laudem merebantur, auditoribus suis monstrare & explicare consuevit, & me vidisse memini. Distributionem depinxerunt NVCKIVS (h) & RVYSCIVS, (i) & patet quidem ex icona RVYSCIANA, mera hic tantum vasa sanguinea cum acinis, adesse qui secundum eum adhuc indagandi essent. Putabat tamen ultimos fines vasorum esse, non vero folliculos. In tenebris hisce lucem affudit industria maximi ALBINI, qui Auditoribus suis, uti modo diximus, ope praeparatorum & felicissimae injectionis, nullum dubium amplius reliquit de vera structura; acinos quippe veros non adesse, & si quidam inveniantur, hoc minus felici injectioni materiae ceraceae tribui debere, acinosque tanquam glomeres vasorum haud im-

pleto-

g) in Resp. ad BOERH.

h) Adenogr. T. XVIII.

i) In Icone Cantiana Epistola ad BOERH. adnexa.

plerorum considerandos esse. Dubium igitur de his, post Tanti viri experimenta superesse non puto (k).

XVIII.

Venarum similis est decursus, uti MYLIVS annotavit (l). Hinc non est quod de iis dicamus.

XIX.

Nervi hic dicuntur maiori numero adesse, quam in ulla alia corporis nostri parte. Sententiam hanc sovent MYLIVS (m) ac BOERHAAVIVS (n). Prior prout nervos in glandulis insigniore propagine detegi, quam alibi in microcosmo, radices suas quaquaversum per glandulae corpus dispergere, a plexibus sibi proximis vel truncis emissas. Alter similiter dicit conglobatas glandulas nervos accipere plurimos, ac majores quidem quam ulla alia pars tantillae molis, & sic per glandulas se diffundere, ut haec paene ex nervis constare videantur. Mamas inde putat, si ulcere quodam tententur, tam facile

(k) Dudum in eadem opinione summus Vir fuit, uti ex ore

ojus haust Ill. HALLERV.

l) §. 7.

m) §. 7. vnu bucc mali

n) Instit. §. 242. nro 4. Prae-

lect. T. II. p. 395.

facile in cancros degenerare. Inficias quidem non ibo, partes nervosas, dum vulnerantur, vel durum ulcus ibi sit, facile ortui cancri occasionem praebere; an vero ideo fit in glandulis? Vir summus dicit nullam partem corporis nostri, habita ratione magnitudinis suae, tot nervos accipere; verum ea observatio minime per experimenta confirmatur. MYLIVM tantum inter multos invenio scriptores, qui hanc sententiam tueretur quidem, sed veritatem non ostendit. RVYSCHIUS simpliciter dicit, has glandulas nervos habere, copiam non addit. Nonne igitur id mutationis, quod in partibus glandulosis reperimus in statu morboſo, potius copiae vaso-rum, horum variae distributioni per partes, stagnationi, corruptioni peculiari, tribuere possumus? Sane arrident haec magis, quia cum fabrica partis convenient, & non tantum rationis nituntur. Praeter ea notum est, similia mala reperiri, ubi glandulae desunt (c).

XX.

Vasa lymphatica tam pulcre descripta exstant apud NVCKIVM, ut ad ipsum B. L. relegare

(o) Exempla colligit Ill. HALLERVUS EX HILDANO & TULPIO.

gare possimus. Liceat iis, quae hic dicta sunt, addere, fere omnia vasa lymphatica glandulas congregatas salutare, hinc persuaderi magnum. Virum I. B. MORGAGNVM (*p.*), glandulas istas, lymphae motum iuvare, idque confirmari per lymphatica, quae ab inferioribus partibus ad thoracici ductus initium pergunt, ea enim plura in homine, quam in brutis, congregatas glandulas subire, eiusque discriminis hanc manifestam causam esse, quod in hominibus ob erectum corporis positum, multo per ea vasa difficilior sit, quam in brutis, circulatio, & ideo plures glandulae, & brevioribus intervallis dispositae requirantur.

XXI.

Procedimus ad ultimam Classem glandularum, quas conglomeratas appellare consueverunt Anatomici. Earum fabrica ex iis, quae de congregatis diximus, iam aliquo modo potest intelligi. Constant ex vasorum glomerulis, & forsitan ex plurimis glandulis congregatis, quae membrana communia includuntur, & inter se per vasa communia coniunguntur. Sunt quae ductus

p.) Adversar. II. p. 88.

ductus excretorios habent (*q*), & qui illis carent (*r*). BOERHAAVIUS hic rursus folliculos admittit, & fere omnium in C. H. viscerum eam structuram esse contendit. Sic hepatis conformatioem cum parotide comparat, illudque vocat congeriem acinorum, & ductuum excretoriorum ab acinis ortorum, quorum coniunctione fiat ductus hepaticus. Haec, si ita se haberent, tota doctrina de congregatis, fulcneis tantum niteretur argumentis.

XXII.

Videamus paucis argumenta a summis viris in medium prolati.

XXIII.

MALPIGHIVS putat, arterias sanguiferas sanguinem ad glandulas deferre, & in ipso introitu deponere membranam exteriorem, tenuiores fieri, in ramos innumerabiles dividi, donec exilissimi, iisque ultimi rami, in membranam explicantur tenuem, quae folliculum formet, ea lege, ut arteriolae in ea membrana humorem depellant, & ibi secretioni aptent. Haec de arte-

ris.

q) Ut Pancreas, Parotis, mammae, sublinguales, lacrymalis &c.

r) Thymi, thyreoidea, &c.

riis. De venis maximi viri theoria haec est: Expansioni arteriosae respondet venosa, sanguis superfluus remeat in venas maiores, & ad cor secundum circuitus leges redit; in eo vero loco reticuli arteriosi, ubi arteriolae finis abitur in venae initium, tertium oritur vas arteriosum, est exilius arteriola, recipiens subtilissimum partem humoris, qui ex arteria in venam transfluit, & hoc vas ultimum membranam folliculi glandulosi perforat, humorem in cavum commune eructat, quod repletur, dum ab omni fere punto sic subtilissimum liquidum depluit. Humor iste collectus stagnat, foveatur, perficitur, & tandem per emissarium, cuilibet acino glanduloso commune, emittitur. Adunatio emissariorum tali modo progrereditur, ut denique in unum emunctorium commune, extra glandulae corpus, vel visceris, ad usus, quibus sapiens CREATOR destinavit, liquor secretus deponatur.

XXIV.

RVYSCHII sententia brevibus haec est. In glandulis conglomeratis arteriae, postquam ingressae sunt in corpus glandulae, diversimode hic distribuuntur, deinde vascula minima ex arteriis

C

teriis orta, humores, quos ex iis acceperunt, non infundunt in cavos folliculos, sed recto itinere, per anastomosin se in canalem maiorem immittunt, nullo intercedente folliculo.

XXV.

Hae adeo diversae sententiae, in diversas partes traxerunt principes in arte salutari Viros. BOERHAVIVS, maximo qui pollebat ingenii acumine, doctrinam MALPIGHII, sagacissimi viri, & anatomici perindustrii, defendit peculiari epistola, saepius a nobis laudata, ad FREDERICVM RVYSCHIVM, adeo erudite, ut bonus hic senex coactus fuerit fateri, se scriptum illustris adversarii legendo, quaedam didicisse, & hinc ipsi gratias agere debere. Interim tamen summus Vir, cuius candorem & sinceritatem laudibus satis non extolli posse, verus eius Amicus, Cl. SCHVLTENS (s) vere pronunciavit, in vitae sua, heu nimis brevis! postremis annis, RVYSCHII experimentis magis tribuit, quam antea in eruditissima defensione fecerat.

XXVI.

Praeter summum BOERHAVIVM, MALPIGHII sententiam sequuntur: I.) LANCISIVS, archiater

(s) in Oratione de vita & obitu HERM. BOERHAAVE.

chiater & cubicularius pontificius, qui omnem secretionem folliculi ope fieri statuit (t). 2.) Excellentissimus MORGAGNVS (u) 3.) NAN-
NIVS (v), 4.) MORGAN (w), qui putat non suf-
ficere solam filtrationem ex arteriolis, neque explicari posse secretionem absque coctione & mora. Illustris vero BERGERVS, in absolutissimo, quem condidit de natura humana libro,
RVYSCHII doctrinam amplexus est, & MAL-
PIGHIO fere primus inter eos qui systemata scriperunt, contradixit (x). Praeter hunc, eandem, uti sura diximus, fovet opinionem Ill. ALBINVS. Horum virorum auctoritas paene sufficeret, placet tamen inter multos alios ex-
citare

t) in Dissert.

u) Illud per mirum est, cum nihil aliud MALPIGHIVS in tota hac epistola agat, nisi ut ostendat, praeter vas a sanguifera, & glandularum excretoria, membranorum folliculum omnino ad struc turam glandularum requiri, utrique illi vasorum generi interiectum; te tamen & VERHEYENVM hanc eius sententiam tam perspicue proposi-
tam, & tam sedulo inculcatam

minime esse affectuos. Ratio au-
tem requirit, ut quod tanto anatomico, quantus quidem MALPIGHIVS fuit, in tot perlustratis ab ipso glandulis sensus ostendit, id ut superfluum sine acri, indubio, longoque exami-
nione reiiciatur. *Advers. Anat.*
II. p. 92.

v) in Commentar. Acad. Bo-
noniens.

w) Mechan. pr. 156.

x) p. 115. seqq. edit. 1702.

citare CL. ZELLERVM (*y*), HELVETIVM (*z*),
CHEYNEVM (*a*), LISTERVM (*b*), BOSCHET-
TVM (*c*), BVRCHARTIVM (*d*), MORLANDVM
(*e*), KEILIVM (*f*), PITCARNIVM (*g*), LOS-
SIVM (*h*).

XXVII.

Si fatendum quod res est, non pauca pro MALPIGHIO militant. Dantur omnino glandulae simplices, & de genere compositarum. Praesertim autem, ea MALPIGHIANAE theoriae robur addere videntur argumenta, quibus nixus est in sua ad Ruyfchium epistola, BOERHAAVIVS, de statu partium morboso, & observatio, quam citat, LITTRIANA (*i*), de hepate humano, eoque fano, in quo glandulae alias praetenuitate invisibles, ita conspectui industrii Anatomici se praebuerunt, ut absque oculo armato videre potuerit, ad singulos acinos, hic tam visibiles, & tam egregie distinguendos, ramulum ve-

y) de Vasis lymphat.

z) in oeon. animali.

a) Theory.

b) de humoribus.

c) de Saliva.

d) de Secretionibus.

e) Philosophical Transactions.

f) de Secretione animali.

g) de Secretione per minima.

h) de Glandulis.

i) exstat in Acad. reg. scient.

ao. 1704.

nae portarum, venae cavae, & pori hepatici pertigisse. Taceo de aliis argumentis.

XXVIII.

Sed his omnibus experimentis nova, & peculiari, quam callebat arte, plura opposuit RYVSCHIVS, & hinc potius mille propriis, & semper eodem modo se habentibus observatis creditit, quam uni observationi Littriana. Operis suae vidit, materiam ceraceam circulationis iter facere, per venas redire, & in ductus excretorios penetrare. Nulli ergo intermedii folliculi adiungunt, sed mera vasa, idque quod folliculo simile, fines arteriarum sunt, in glomeres coniuncti, ubi nullum cavum se sensibus sistit. Praeterea res certissima est, RYVSCHIVM vi usum non fuisse, dum injectiones suas peragebat, sed blande & suaviter, propria sibi *erxipnor*, vasa ita replevisse, ut in vita replebantur, nec inflammationem fecisse, nisi ubi consulto inflammationem imitare voluit, quo in casu artificiosam, uti dicit, inflammationem excitavit. Addere tam firmis argumentis potuisse, uti recte monet Illustris HALLERV,

folli-

C 3

folliculos non compressos fuisse, quia materia ceracea ad ductum excretorium usque penetravit, quod impossibile foret, si intermedius quidam adesset folliculus (k).

XXIX.

Secretio quoque absque interpositis glandulis fieri potest, uti docet villosa fabrica intestinorum, cuius rei tam pulcrae existant icones artificiosissimi & acutissimi Viri, Clarissimi LIBER-KVHNII; docent humores oculi, in quibus arsummi ALBINI vasa demonstrare potuit, non vero glandulas, quae hos humores secererent. Hinc illis suffragari non possumus, qui dicunt, ubi secretio, ibi glandula; sed multis in locis, secretionem a poris & meatibus vasorum pendere, persuasum habemus, quod pluribus urgent illustres viri, BERGERVS (l) & HEISTERVS (m).

XXX.

Concludimus igitur cum Ill. HALLERO, glandulas conglomeratas solo contextu vasorum fieri,

k) in Commentar. BOER-HAAV. T. III. p. 471.

l) de natur. hum. p. 119.

m) in Adenogr. §. 364. edit.

1736. Paulo post adhuc alios citat, qui negaverint omnem secretionem ope glandularum fieri, sunt hi SCHELHAMMERVS & MERY

fieri, & quidem ita, ut vas arteriosum, sive rubrum id sanguinem adhuc vehat, sive liquorem alium a sanguine rubro, liquorem crassiores venae tradat, & ab arteria, antequam ea reflectatur, ramus quidam tenuior oriatur, in quem liquor aliquis subtilior transeat, & ramum hunc, cum iis, quae ipsi in glandulis similes sunt, confluere, sique ductum excretorium facere.

XXXI.

De secretionibus porro multa dicere, vetat instituti nostri ratio, impediuntque arcti, quo circumscribimur huius dissertationis limites. Hinc ad alteram huius tractationis transgredimur partem, ubi describenda & examinanda se nobis offert glandula conglomerata, quae peculiare aliquid habet, quod illam fere ab omnibus aliis corporis humani glandulis sejungit.

XXXII.

Glandula de qua mihi sermo erit, Thymus est, ob suam magnitudinem, situm, miram naturam, nondum satis cognitam, neque

MERY. Prior in Analect. Anat. reg. Scientiar.
Diff. III. Alter in Hist. Acad.

neque adeo facile extricandam, omnino digna,
ut seorsim quid de ea dicatur, secundum pecu-
liares, observationes ex cadaveribus humanis
desumptas.

XXXIII.

Reperitur in Thoracis superiore parte, i-
demque pone musculos sterno infertos, ad su-
periora adscendit, sic ut partim in thorace,
partim extra eum in imo collo ponatur. Cir-
cumdatur fabrica cellulosa mediastini anterio-
ris (*n*), cuius ope cum pericardio leviter con-
iungitur. Incubit trunco Aortae & venae
cavae superioris (*o*), & quidem in eius bifurca-
tione (*p*) & ramo in primis subclavio sinistro.

XXXIV.

Plerumque bicornis est, & superius & in-
ferius. Cornua duo inferiora longa sunt &
multo crassiora, in pericardium protensa, eo-
rumque quod dextrum est, plerumque lon-
gius producitur. Superiora breviora sunt, &

n) Ill. HALLER. I. c. p. 101.

a MORGAGNO Adversar. V. p. 19.

o) HEISTER p. m. 118. Non

notati.

inferioris, uti erronee ex VER-
HEYENO MANGETVS, qui inde

p) EVSTACH. T. 15. f. 14

angustiora, & ad glandulam thyreoideam porrigitur, q) ad utrumque latus asperae arteriae. Aliquando autem cornua superiora tam alte non ascendunt; Cornu superius dextrum sinistro pariter longius esse videtur.

XXXV.

Ex bene inspecto situ componi potuissent lites **BIDLOI** & **VERHEYENI**. Patet enim ex modo dictis, thymum non manere in pectoris ambitu, sed in iugulum usque adscendere. In foetu humano pars extra thoracem sita est, & in foetu vitulino adscendit usque ad glandulas maxillares, quibus ita contiguus est thymus, ut continuus iisdem videatur r).

XXXVI.

Vasa habet Arteriosa, venosa, lymphatica & nervea. Arterias accipit superiores alias, alias infe-

q) uti bene monet Heisterus.
Aliquando vnum tantum cornu ad thyreoideam usque adscendit, uti in puella & mensium visum est.

r) vid. **WHATKON** Adenograph. p. 103. c. ieone. **BELLINGER**. Icon. in Tr. de foetu nutritio, or discourse concerning the nutrition of the Womb.

inferiores. Illae sunt a thyreoidea inferiori, & cornua adeunt superiora, ut tamen alias a mammariae ramo superficiali, superclaviculari, oriantur. Hae a mammaria, secundum thymum descendente. A Carotidibus, a quibus celebris quidam Anatomicus thymum arterias accipere putat, nunquam provenisse Ill. **HALLERVS** memoriae prodidit s), ut quae absque ramo ad supremam partem laryngis adscendant.

XXXVII.

Venae perinde & superiores sunt & inferiores. Illae a thyreoideis inferioribus, hae a subclavia imprimis sinistra oriuntut t). Aliquando duae sunt ad utrumque cornu superius abientes; aliquando tres. Jugularis interna, mediastinae, & imprimis mammariae etiam ramos his glandulis largiuntur.

XXXVIII.

Vasa lymphatica magna copia adsunt, & ceras ex ductu thoracico, notante, **COWPERO** u) & Consentit LIEUTARD 1630.

s) T. II. p. 475.

u) Anat. T. XXI.

& DRAKIO *x)* admittunt. MAIERVS, anatomicus Pragensis *y)*, affirmat MVRALTVM in thymo plurima vasa crystallina ad mediastinum & pericardium serpentia vidisse, qualis observatio in Ephemerid. natur. curiosor. habetur, e Taxo desumpta *z)*. BIDLOVS e thymo emergere ait *a)*; WHARTONVS dubius est, dicit se frequenter lymphaeductus per thymum decurrentes & in venam subclaviam se exonerantes vidisse; non tamen satis firmiter asserere posse, utrum per capillares ramos in huius glandulae substantiam terminentur, an potius super thymum transeant, ab aliis venientes partibus. Ad latera thymi plura vasa lymphatica vidit SALZMANNVS *b)*.

x) p. 364. *a) Dissertatione supra me-*

y) In Colleg. Anat. Pract. p. 109. *b) de different. foetus p. 26.*

z) Decad. II.

XXXIX.

De nervis obscura res est. WHARTONVS, HEISTERVS, LIEVTAVD, DRAKE a pari vago aut intercostali oriri dicunt, & nil amplius addunt; hinc paulo ulterius examen merentur.

XL.

a) Dissertatione supra me-

b) de different. foetus p. 26.

D 2

XL.

Substantia glandulae conglomeratae similis est c), & interpositam multam habet fabricam cellulosa. Fit ex duabus glandulis diversissimis, sola hac membrana cellulosa inter se iunctis, nisi malis, quod melius est, dextrum dicere sinistrumque thymum, uti pulmones dicimus.

XLI.

Aliquando tres verae adsunt glandulae, uti iam olim annotauit THOMAS BARTHOLINVS d), & sic aliquando in cadaveribus invenimus. Plerumque tamen duae tantum adsunt, vere distinctae. Et dexter vero & sinister thymus in minores lobulos, laxa cellulosa connexos, varie & multiformiter dividitur, quorum lobulorum similis oculo adtentiori aut armato divisiō percipitur, donec oculi nos destituant.

XLII.

Sed quod mirum est, quaevis harum glandularum cavitatem habet insignem, per amplam, figurae, quae thymi est, lactea plerumque materia, vel, ut semel observatum fuit, muco cruento repletam. Haec cavitas facile inflatur,

flatus-

c) MORGAGN. Advers. V. DUVERNOI Act. Petrop. T. VII.
p. 294. d) In Anat. L. II. C. VI.

flatusque in illam adactus, per totam eius longitudinem se diffundit, sicut tamen, ut alterius lateris thymus simul non elevetur. Hoc 1742. ab Illustri **HALLERO** factum vidi, in puero recens nato, quem cultro anatomico in splendidissimo huius academiae theatro anatomico subiiciebat. Flatus qui in dextram glandulam adactus erat, in sinistram non penetrabat, indicio nullum commercium inter hanc & sinistram fuisse. Eadem postea saepius repetita fuerunt, & in similibus fetuum abortivorum, aut recens editorum infantum cadaveribus, constanti naturae lege, similis fabrica deprehensa fuit.

XLIII.

Cavitas eam, inter anatomicos saeculi superioris annotavit **THOMAS BARTHOLINVS**, sed in uno tantum thymo. **GRAAFIVS**, uti hic indicat, quoque vidit. Post hunc virum **PETRVS DIONYSIVS** (e), cavitatis huius mentionem facit, sed tam breviter, ut **BARTHOLINV M** ex-scripsisse videatur. Apud reliquos auctores alatum est silentium, & mirari licet, alios de hac re nihil proposuisse, tamque parum sollicitos fuisse,

(e) in Cours d'Anatomic.

D 3

fuisse, de investiganda natura & fabrica partis,
quae ratione magnitudinis suae, magnae utili-
tatis in foetu esse videtur. Miror etiam, vel a-
pud ipsum **BIDLOVM**, qui peculiarem, & sa-
tis acrem contra bonum **VERHEYENVM** de
thymo, imo cum fiducia quadam sibi usum
bene cognitum esse, dissertationem scripsit,
nihil inveniri, quod hoc referri possit.
Apud oculatissimum **MORGAGNVM** quoque
nihil lego, praeter illud, quod in foetu qua-
drimestri universam thymi substantiam, albi-
cante quadam sero & fere chyloso, admodum
imbutam invenerit. In operibus recentissimi
scriptoris **LIEVTAVD**, Anatomici caeteroquin
accurati, nihil de hac cavitate notatum est.
Qui nostris temporibus rem attigit, Cl. est
DUVERNOI, cuius novae observationes de
Thymo, loco supra citato, leguntur. Inve-
nimus hic praeter cavitatem, **BARTHOLINO**
iam cognitam, divisionem thymi in lobulos,
& descriptionem substantiae cuiusdam albae,
lobulorum parietibus interpositae, pinguedi-
nem referentis, denique Clarissimi Viri obser-
vationem, quod thymus e cadavere optimo
resectus, vasique, super ignem posito, inie-
ctus, pinguedinis instar colore solitus & li-
que-

quesactus fuerit (e*). Sed quae magis ad scopum nostrum pertinent, haec sunt: thymum nempe interius ampla cavitate, pollicem fere admittente, instructum fuisse, cavitatem quidem hanc in omnibus cadaveribus non reperi; sed hoc fieri in partium cavitatibus, quae mutationibus obnoxiae sint, exemplo glandularum renalium EVSTACHII, ubi sinus ille amplius, aliquando primo intuitu se prodit, nonnunquam vero ita absconditus est, ut glandula solidum corpus referat, quod tamen expedito & exercitato Anatomico impedimento esse non possit, impressiones oblitterati sinus non solum perspiciendi, sed etiam parietum distractione sinum hunc restituendi. Et Clarissimo Viro, in omnibus cadaveribus, in quibus thymum examinavit, successit; parietes enim glandulae distrahendo, observavit, substantiam, quam cavitatis expertem crediderat, dehiscere, imo & in aliis cadaveribus, ubi vestigium cavitatis difficile erat internoscere, spatio aliquot dierum (adhibita forsan in aqua maceratione) distractione, oblitteratam cavitatem rursus conspectui se prodidisse. Quae de a-

reis,

e*) An ex iuniori cadavere erat thymus? Experimentum nondum repetii.

reis, lobulorum structura, & vesiculari eaurum superficie addit, obscuriora sunt. Figuram cavitatis in Anatomicorum libris non inveni, hinc operae pretium duxi, ab Illustri HALLERO, eo fretus quo me prolequitur favore, petere, ut illam, quam ultima hyeme, in foetu viderat, delineari curaret. Annuit precibus humanissimus vir, & hanc tibi iconem sisto B. L. in calce dissertationis. Repraesentat duos thymos, qui in foetu septimestri reperti fuere; Quilibet thymus suam certissimam habebat cavitatem, facile aperiendam, inflabilem, in qua Terebinthinae oleum effusum erat. Sinistra glandula non aperta est, in altera vero cavitas manifesto perspicitur, uti ex subiunctis explicationibus literarum suo loco videri potest.

XLIV.

Magnitudo thymi pro varia aetate differt. In foetu ac recenter natis maximus est proportione corporiculi, sensim vero decrevit. In adulto tamen semel permagnum invenit COWPERVS (f) Illustris HEISTERVS (g), in pueru

XIII.

f) Anat. T. XXI.

g) Comp. Anat. p. 118.

XIII. annorum, hec tica extincto, scirro induratum & valde ingentem vidit. In recens nato octo scrupulos pendere affirmat VERHEYENVS (*b*). In embryone humano, sex mensium, abortivo, scrupulos duos peperit (*i*). In foetu vaccino grandiusculo pondus ascendet ad Uncias quinque & drachmas tres; in alio majore maturo, tempore partus jam instantे ad Uncias XIV; in excluso bimestri ad Uncias novem (*k*). Talis manet ad annum quintum, nisi bos jugo submittatur, & testantur laniones thymum, in bove quinque annos nato, adhuc vendibilem esse; post hoc tempus vero mole, sapore, & colore differre, hinc nullius esse pretii. In anno bove vix ullum eius adest vestigium. In foeminis maiorem esse quam in viris putant WHARTONVS & COWPERVS, sed contra dixit BIDLOVS, & vix crediderim hoc semper observatum fuisse. Qui vasa lactea inde deducere conati sunt, graviter errant.

XLV.

b) in Dissert. contra BIDLOVM. Lovan. 1706. p. 16.

i) WHARTONVS p. 105.

k) id. ibid.

Ductum excretorium videre, nemini mortalium usque ad hanc diem contigit. **RVSCHIO** semel vas sanguiferum se obtulit, quod canalis excretorii dotes ita referebat, ut parum abesset, quin pro illo describeret, & se Persarum Rege beatiorem crederet; sed gaudium, uti inexpectatissimum erat, ita brevissimum quoque fuit (*l*). Sic quoque accidit anonymo Breslaviensi, qui ductum excretorium uno eodemque anno & descriptis, & revocavit (*m*). De observationibus anatomici Itali, qui ad **BOERHAAVIVM** (*n*) scripsit, se ductum in oesophagum, ventriculum versus, abeuntem vidisse, nihil constat. **VERCELLONI** ductus, ad asperam arteriam ducens, quoque adhuc in tenebris latet, & caeca nube circumdatus est. **BELLINGERI** experimentum autem valde paradoxum est. Dicit ductus ex thymo per glandulas maxillares adesse, qui liquorem lacteum hic secretum, per glandulas modo dictas ad foetus os amendent, ut sic nutritur, non tantum dum in utero est, sed etiam adhuc post partum. Paucis sic se habet: aperiatur thorax foetus

l) vid. *Adversar. anat.* nro. 7.

1718. p. 1897. 2073.

m) *Breslauer Sammlungen*

n) *Praelect. T. II.* p. 473.

foetus suilli, comprimatur thymus linteo ferente aqua imbuto, & quidem suaviter, sic statim videbitur maxillares glandulas fieri turgidas; si dein paulo fortius pressio fiat, perspicci potest, lympham, si Diis placet, nutritiam, limpidae saliuae forma, maxima copia in os effundi. Addit, in infantibus recenter natis observari posse, sive dormiant, sive non, speciem manductionis, hancque nihil aliud esse, quam motum automaticum, ut saliva nutritia exprimatur, & quidem infantes hoc non continuo, sed repetitis vicibus facere, ut deglutire possint, quae sic in os recepta sint. Hoc si verum eslet, & ulterius demonstrari posset, thymi usus luce meridiana clarior, nec amplius tam anxie quaerendus foret; sed ponamus BELLINGERVM veros vidisse ductus, quos ex porcello & delineavit & descriptsit, an hinc statim ad hominem concludendum? Deinde unicum & in monstro experimentum BELLINGERI est, & inferius aliqua dicentur, quae ductus excretorii cuiuscunque praesentiam excludere videntur.

XLVI.

Deficiente igitur ductu excretorio, usus harum glandularum valde dubius, incertus, &

E 2

in-

incognitus est. Variae hinc apud Auctores reperiuntur sententiae, quos qui colligere vellet, oleum atque operam perderet. Nos breviter quasdam ab optimis adoptatas perlustrabimus. WHARTONVS putat, liquorem nutritium, quem nervi octavi paris imbibunt, impuritate aut acrimonia quadam inquinari, eosque cogi illum depurandi gratia hic exspuere, superfluas eius partes in transitu per glandulae substantiam secerni, & per lymphae ductus auferri, purumque liquorem per nervos in eandem disseminatos resumi, in partium nervosarum totius corporis usum. Glandulam vero hunc usum praestare, inde probabile fieri, quia dulcior, delicatior & albidior sit, hincque eius temperamentum, praeparationi ac secretioni materiae nutritiae, in usum nervosarum partium, quae similiter dulcis ac substantiae delicatae esse debat, apte proportionatum esse. Scruposam sententiam esse, candidus Auctor ipse fatetur, & certe est, nullis enim nititure experimentis, & argumenta quae affert, haud magni momenti esse videntur, hinc dudum obsoleta est, nec ab aliis recepta; nec video, quomodo demonstrari possit, nervos acrimonia quadam inquinari, ut caetera fileam.

XLVII.

XLVII.

VERHEYENVS pro diverticulo habet chyli, per ductum thoracicum copiose advenientis, ne nimis affatim misceatur sanguini, & hoc quidem probabile reddi, quia portio quaedam chyli per ramos ductus thoracici ad thymum deferatur. Praeter hunc usum, alium super accedere dicit, separare nempe humorem qui in pericardio continetur *a)* Sed haec non magis vera sunt, quam effata WHARTONI. Non videmus qui fieri possit, ut diverticulum chyli sit thymus, cuius cauitas tam cito evanescit, imo cuius tota fere substantia crescente aetate deperditur. De humore, qui in pericardio continetur, non est quod multa proferam, certum enim est, illum ex arteriolis pericardii, quorum magnus est numerus exhalare, & rursus resorberi a venulis, ex quibus forsitan ad vasa lymphatica abit, quas descriptis tam in cordis superficie, quam in pericardio ANTONIVS NVCKIVS *b)*. Praeterea tenuitas huius humoris, secretioni glandulosae vide-

a) hoc forsitan ansam dedit dio lympham praebere.
opinioni TAVVRII, cui vero si-
mile videtur thymum pericar-

b) Adenograph. p. 143.

IV IX

videtur repugnare, praesertim secretioni quae
in thymo fit, ubi humor viscidissimus, mucosus,
vel lac, imo al quando substantia caseofae similis
reperitur, uti **POZZIVS** c) vidit.

XLVIII.

BIDLOVS thymo quatuor functionum species
affignat 1. tempore quo foetus in utero est, su-
premam pectoris partem implendo, depresso,
aere nondum extensos, tenere pulmones. 2)
fulcimento esse tenerioribus costarum cartilagi-
nibus. 3) lymphatica, e suo corpore dimittere
vasa, ad ductum thoracicum abeuntia, idque mu-
nus ad animalis diem supremum sustinere. 4) Va-
forum & nervorum fulcimento inservire, ma-
nente eius involucro exteriore, sive tendine in
integrum semper. Sed si severiori submittas ex-
amini, ferculneis argumentis super structa esse vi-
dentur; non comprehendo e. g. quid mali inde
resultet, si pulmones in nondum natis totum pe-
ctoris ambitum non impleant, & cur cartilagi-
nes & sternum fulcimento quodam egeant. Va-
forum lymphaticorum officium forte magis
probabile est, per ea quae §.39. adducta fuere.
Quartus usus mihi quoque minus necessarius
videtur, nec concipere possum, quid opus sit
vasis, ut sustententur.

XLIX.

q) in *Commerc. epistol.*

XLIX.

BELLINGERI theoriam jam supra examinavimus, & merito de ea multa remanent dubia, donec Anatomicorum aliquis, ductus, quos in monstroso porcello vidit, in cadaveribus humanis quoque inveniat. Imo ipse situs thymi, qui in suprema thoracis parte, ideoque immobili in loco est, usui, quem excogitavit, repugnare videtur; In experimento requiritur, ut thymus comprimatur; quid quaeso id faciet? nonne sic fictitia lympha nutritia, quae ad glandulas maxillares abire debet, hic remanebit?

L.

Nec magis arrident, quae Cl. LIEVTAVD proposuit; nempe thymum glandulosi nihil habere; esse massam spongiosam & mollem, quae forsan nullam habeat utilitatem, quam in foetu implere id pectoris spatium, quod pulmones, aere postea distenti occupare, debent.

LI.

Patet igitur ex haec tenus dictis, quam parum Physiologia quoad hanc partem illustrata sit. Ductus excretorius thymi, & usus, forte diu adhuc latebunt. Si tamen ex analogia concludereliceat, lacteus humor, qui hic reperitur, peculiarem usum non habet, nam omni dote eum

eum refert, qui in embryonum ac recens editorum corporibus fere ubique invenitur; sic lac ex mammis tenellorum infantum, expressum fuisse memini, inventa quoque fuit materia lactis aemula, in uterculis foetuum, glandularum vero congregatarum totum sistema eodem seroso liquore turget, etiam MORGAGNO, observante. An igitur ductus excretoriis hic absolute necessarius? Vix crediderim; resorberi debet humor hic secretus, qui ad totius corporis usum, & ad publica commoda, non privata, a natura destinatus sit. Estne similis res in glandulis renalibus EVSTACHII? quibus forte nulla in toto corpore humano, similior thymo est pars. In foetu & ipsae perpetuo maiores sunt, quam in adulto, cavitatem etiam tunc temporis habent insigniorem quam in adultis, & liquorem modo cruentum, modo intense flavum, & dulcem, minime amarum, ut Veteres, theoriae falsae nimis indulgentes statuebant; praeterea quoque ductu excretorio carent.

Sed haec sublimioribus ingeniiis relinquimus, & vela contracturus, cum prudente WHARTONO concludo: Priusquam ulterius invium hunc tramitem ingredior, visum est Sagaciorum hac in re vestigia opperiri.

Corol-

Corollaria.

I.

Pulsuum differentiae subtile, quae ab Auctoribus non-nullis traduntur, inutiles sunt in praxi medica.

II.

Secretiones varias per poros explicare velle absurdum est.

III.

Quibus oceulti cancri fiunt, eos non curare melius est. Curat enim citius pereunt. Non curati vero longius tempus perdurant. *Hippocrates.*

IV.

Caneri hinc corrodentibus non tentandi.

V.

Cortex Peruvianus sanguinem egregie depurat.

VI.

Uti divinum est remedium idem cortex legitime administratus; sic illegitime propinatus nocet.

F


Explicatio Figurarum.

Fig. 1.

- A *Cornu superius thymi.*
- B *Vasa majora, quae cum eo cornu adveniunt.*
- C *Thymi pars princeps pericardio innata.*

Fig. 2.

- A B *Ut prias.*
- C *Cavitas Thymi.*
- D *Substantia lobulosa thymi incisa cavitate, revolutis pa-
rietibus.*



GENEROSSISSIMO
AVCTORI RESPONDENTI
S. PRAESES
ALBERTVS HALLER.

Post eam inter nos amicitiam, quae ex praesentia Tua
nata, Tuis itineribus ita non extincta est, ut ma-
jora per commercii literarii suavitatem cuperit incre-
menta, visum est indecorum pene, & insolens fore, si
nullum ejus nostrae amicitiae exstaret monumentum.
Occasionem nec longe repetitam, nec a consuetis aca-
demiarum moribus remotam, haec ipsa Tua suppeditat
disputatio. Post hausta enim ALBINI, GAVII, RO-
YENII, BERTINI, IVSSIEVORVM, aliorumque claris-
simorum in Belgio & Gallia virorum praecepta, ad
nos & antiquos Tuarum Musarum amores rediisti
Generose DE HVEGO. Mihi imprimis fors ea obtigit, ut
ultimo Tuo, levi quidem, neque vires Tuas explora-
turo, sed legitimo tamen specimini adessem. Quidni
ergo, cui per duorum annorum suavissimam familiari-
tatem totus innotuisti, tam faventem amori meo na-
tus opportunitatem, in ejus testimonia me effunderem?
Qui temperarem, quin meminerim tot per agros sylvas-
que & vicinas, & hercynicas, excursionum botanicarum,
quae nobis, nobisque eo tempore solis, communes fue-
runt? tot dissectionum, quibus uterque & cultrum anato-
micum & oculos veritatis pervidendae avidos adtulimus?
Nam de iis, quae Tibi propriae sunt, virtutibus, nunc,
quem

quem hae literae praesentem faciunt, non licet addere quidquam. Mihi enim ex amicitia videtur tanta sequi necessitas, ut non magis amicum quam me ipsum laudare sustineam, adeo videntur utriusque laudes conjunctae esse. Labores vero, & quidem ob veritatem solam, innocentissimam, & optatissimam rerum, exquirendam, exantlatos, grata quadam voluptate mente recolo, quos una subivimus. Grata eorum etiam tunc erit memoria, quando Te Tua, me forte olim mea, tot fluminibus, tot montibus divisa patria habebit. Dulcis mihi erit seneffenti Gottingae imago, venerabile erit praestantissimum virorum nomen, quos inter Patruus Tuus, ILLVSTRIS ARCHIATER de HGGO, suis & publicis & peculiaribus eminet meritis, sed etiam Tua, eorumque juvenum desiderio plena recurret memoria, quos Sua virtus meo amori insinuavit, eademque maturiori aerae, ad ea evexit praemia, quae Tibi contigisse laetabor, & nunc etiam animo lubens praecipio, quae a Tua virtute abesse nequibunt. Vale D. XIX. Octobr.

1746.



80 A 6469 (1)

VD18

ULB Halle
002 937 28X

3



TA-70L

R

VDAX

10
15.

ATIO ANATOMICO-MEDICA
IN AVGVRALIS.
DE
S IN GENERE, ET SPECIATIM
DE THYMO

QVAM

ISSIMO PRINCIPPE AC DOMINO

DOMINO

D R G I O II.

T. FRANC. ET HIBERN. REGE

DEFENSORE FIDEI

RVNSVICENSI ET LVNEBVRG.

HITHESAVRARIO ET ELECTORE

RE MAGNIFICENTISSIMO

ORDINIS MEDICI CONSENSV

PRAE S I D E

R T O H A L L E R

PHIL. ET MED. D.

F. O. CONSILIARIO AVLICO,

HIATRO REGIO SOCC. REGG.

ANGL. ET SVEC. SOD.

A. REIPVB. BERNENS. DVCENTVMVIRO

PRO

TRIBVS AC PRIVILEGIIS

DOCTORIS

RITE OBTINENDIS

XXIV. OCTOBR. A. R. S. MDCCXLVI.

H. L. Q. C.

DEFENDET

**A V C T O R
S L V D O V I C V S D E H V G O.**

G O T T I N G A E

A V A N D E N H O E C K, ACAD. TYPOGR.

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Centimetres

Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20